

*Lectiarii*, quod de Tempore ab *Adventu* usque ad *Pascha*, de Sanctis vero a *D. Andrea* Apost. usque ad *B. V. Mariae Annuntiationem*, pro qua miniatori *Nativitas* subrepsit, progreditur. *Primae* tamen *Membranae* fere usque ad *Sabbatum* ante *Dom. IV.* *Adventus* exciderunt. Ad *calcem* *minio* legas: *Anno domini millesimo trecentesimo quintodecimo. Comparatus est liber iste. a Serenissima ac deo deuota domina Elyzabeth. quondam Regina Bobemie ac Polonie. ob perpetuam memoriam sui ac generationis suae. ut ad quodcumque Cenobium datus fuerit. perpetua memoria sui habeatur uiuae suae defunctae. ac genealogie suae. Principum siue Regum. Defunctorum. ut in sompno pacis dormiant. Uiuorum. ut prosperitate et incolumitate gaudeant. Posterum. ut in mille generationes crescant. Amen.*

## DCCCXCVI.

**R. 2155** Codex membraneus ejusdem conditionis Folior. 302. est *Pars II. Lectiarii* ejusdem a *Pascha* ad *Aduentum* et a *D. Marco* ad *D. Andream* procedens. *Fol. 281.* *Clausulam* superiorem hic germanice redditam ita habes: *An dem Tusende vndan dem dri bundirten vnd an dem sechcenten iar. von christes gebort. Is ditz büch erzülget. Von der Hochgeborn vrowen. Vrowen Elzebeten. der werden zwire (duor. Regnor.) kuniginnen. zu einem ewigen ge-*

*buknisse* (memoriam ab ant. *Hugen.* meminisse, *Huge* animus) *iris namen. vnd allers* (pro all ihres) *geschlechtes fürsten vnd kunige. in welch closter ditz büch wirt gegeben. daz men ir da ewicliche gedenke. zum ersten der di da tot sin. daz di slafen in Gotes fride. vnd zu der ewigen freude kumen. di da noch leben. daz sich di vreuwen selde* (salutis a *Sal*) *vnd lanklebens. der nachkümeling. daz si in tusent gestechte wachsen. Amen.* Postea sequuntur *Lectiões IX.* de *Vita S. Hedwigis* ex *Actis Canonizationis* celebratae a. 1267. a *Clemente IV.* cum addito: *Summa indulgencie in die beate Hedwigis octo anni. CCC. dies. et tres karene.* *Lectiões XII.* *De undecim milibus uirginum.* *Lectiões XII.* *In festo spinee corone domini;* et *Lectiões VIII.* de *uita sancti wenceslai.* Erat olim inter *religiosae Pietatis Opera* sumtus facere in describendos *Codices liturgicos*, qui deinceps *faceris Locis* dono darentur, atque *praefens* ejusmodi *illustre monumentum* debemus *Matronae sanctissimae Elisabethae Przemislai II. Poloniae Regis filiae*, quae cum ab a. 1300. ad a. 1305. in toro fuisset *Wenceslai IV.* (all. II.) *Bob. et Pol. Regis*, eoque defuncto nupsisset *Rudolfo Austr. Alberti I. Imp. filio*, mox a. 1306. secundo hoc marito *viduata Hradecii*, quod *Reginae* dicitur, usque ad a. 1316. vitam egit, inde *Brunnam Moraviae* digressa in condito ab se a. 1323. sub *Castro Spil-*

2147

## LITURGICI.

2148

*Spilberg* Virginum O. Cist. Asce-  
terio ad Superos a. demum 1334.  
abiit.

DCCCXCVII.

R. 3354 Codex membraneus lat. Sec.  
XIV. Folior. 148. 4. min. cura-  
te scriptus et minio distinctus to-  
tus musicus est, exhibetque in Sche-  
mate quinque linearum Notis qua-  
dratis et caudatis primum *Kyrie*  
*eleison* et *Gloria in excelsis* pro

*Laudes crucis attollamus*  
*Nos, qui crucis exultamus*  
*Speciali gloria.*  
*Dulce melos tangat coelos,*  
*Dulce lignum dulci dignum*  
*Credimus melodia.*  
*Voci vita non discordet,*  
*Dum vox vitam non remordet,*  
*Dulcis est symphonia.*  
*Servi crucis crucem laudent,*  
*Qui per crucem sibi gaudent*  
*Vitae dari munera.*  
*Dicant omnes, dicant singuli: \**  
*Ave salus totius seculi,*  
*Arbor salutifera!*  
*O quam felix, quam praeclara*  
*Fuit haec salutis ara*  
*Rubens agni sanguine,*  
*Agni sine macula,*  
*Qui purgavit secula*  
*Ab antiquo crimine.*  
*Haec est scala peccatorum,*  
*Per quam Christus rex coelorum*  
*Ad se traxit omnia,*  
*Forma cuius hoc ostendit,*  
*Quae terrarum comprehendit*  
*Quatuor confinia.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

variis diebus festis anni, dein a  
*fol. 15. Introitus, gradualia et*  
*Versus* per annum, primum de  
Tempore, dein de SS. Festis,  
demum mixtas *Hymnis Sequentias*,  
quae sunt *Notkeri Balbuli* editae  
a Bern. Pezio T. I. *Theol. Anec-*  
*dot. col. 18.* ut docuit collatio,  
sed hic impositis cantus signis a-  
nimatae. Ex *Hymnis* multi in de-  
suetudinem abiire, atque ut spe-  
cimen dem, en unum aliquem de  
*S. Cruce.*

*Non sunt nova sacramenta,*  
*Nec recenter est inventa*  
*Crucis haec religio.*  
*Ista dulces aquas fecit,*  
*Per hanc silex aquas jecit*  
*Moyssis officio.*  
*Nulla salus est in domo,*  
*Nisi cruce munit homo*  
*Superliminaria.*  
*Ligna legens in Sarepta*  
*Spem salutis est adeptu*  
*Pauper muliercula.*  
*Sine lignis fidei.*  
*Ne lecythus olei*  
*Valet, nec farinula.*  
*In scripturis sub figuris*  
*Ista latent, sed jam patent*  
*Crucis beneficia.*  
*Reges credunt, hostes cedunt.*  
*Sola cruce Christo duce*  
*Unus fugat millia.*  
*Ista suos fortiores*  
*Semper facit et viatores,*  
*Aegros sanat et languores,*  
*Reprimit daemonia*  
*Dat captivis libertatem,*  
*Vitae confert novitatem;*

A a

Ad